

Ad Christi veram transivit philosophiam,
In qua longævæ bene complens ultima vitæ,

A Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, undenias Maio renovante Kalendas.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

STATUTA CONGREGATIONIS CLUNIACENSIS.

(Luc. HOLSTENIUS *Codex Regularum* edit. R. P. Mariani Brockie, Augustæ Vindelicorum 1759, fol.)

OBSERVATIO CRITICA.

Inter zucr ordinis Benedictini propages, primaria est Cluniacensis congregatio, quæ quidem toto orbe inclarescere cœpit, postquam S. Berno circa annum 910 monasterii Cluniacensis fundamenta jecerat, Willemo, EQUITANÆ et Gothiæ seu Septimaniae duce, agros et redditus in monachorum sustentationem liberatiter suppeditante. Erat autem hoc monasterium in agro Matisconensi situm, atque juxta Regulam S. Benedicti ordinatum, quam S. Berno ibidem arctissime observavit, initiumque reformando monastico statui dedit, quem ferco hoc sæculo collapsum piissime restauravit.

At plenaria monasticæ disciplinæ reformatio videtur reservata S. Odoni olim S. Bernonis discipulo, at dein in abbatiam successori; qui, velut alter Esdras exstitit monasticæ legis reparatæ præcipuum columen et ornamentum, dum ad arctiorem Regulæ Benedictinæ observantiam non solum monachos sibi commissos adduxit, verum et plures ex vicinis monasteriis viros religiosos ad amplectandam noviter reparatam disciplinari attraxit. Tanta enim erat S. Odonis fama sanctitatis, tanta Cluniacensium monachorum vitæ integritas, ut anno jam 937, plus quam septendecim monasteria sub Cluniacensis congregacionis disciplina militaverint. Tot enim ad hunc annum numerat Mabillonius, in suis Annal. Benedict., tom. II, lib. XLIII, pag. 436, asserens reges, episcopos, magnates certatim contendisse, ut ad morem Cluniacensium monachorum, vel nova cœnobia instituerentur, vel vetera corrigerentur.

Atque hoc modo sacer ordo Cluniacensis in tantum crevit, ut jam sæculo XII sub ejus disciplina militaverint duo fere millia monasteriorum in Europa, præter plura alia apud Orientales erecta, prout resert Calmetius in suo Catalogo religiosorum ordinum, ad calcem comment., in Regulam S. Benedicti. Interea, nec S. Berno, nec S. Odo, particularem regulam monasticam monachis suis præscripserunt, sed pro primaria vitæ norma, omnibus observandam Regulam S. Benedicti proposuerunt; ita ut Cluniacenses exstiterint veri monachi Benedictini.

Neque statuta a Cluniacensibus edita a Benedictina disciplina deviabant, sed in hoc omnino collimabant, ut sacra illa Regula ab omnibus arctissime observaretur. Hinc Beatus Willelmus abbas Hirsaugiensis reformationem monasteriorum Benedictinorum per Germaniam aggressus, circa annum 1112, horum Statutorum communicationem ab ipsis Cluniacensibus rogavit, quæ et suscepit, copiam insignem præbente S. Udalrico, nobili Bavarо, sed apud Cluniacum monacho Benedictino, sic enim designatur ab Acherio in suo Spicilegio, tom. I novæ edit., qui hæc statuta appellat antiquiores consuetudines Cluniacensis monasterii; quos, ob proximitatem, hic referre supersedemus. Quæ quidem consuetudines, quoad minutiora præcepta, secundum varias locorum et temporum circumstantias, mutationibus subjectæ erant; prout Petrus Venerabilis abbas in Præfatione ad renovata sua statuta Cluniacensia prænotare voluit, quæ proin hic exhibemus, ex Bibliotheca Magna SS. Patrum, edit. Lugd., tom. XXI desumpta.

Erat autem Petrus Mauritus ex nobili stemmate apud Arvernos natus, qui, sub juvenilibus annis militiam secutus, tandem sæculo renuntians, apud Cluniacum induit monachum, atque pietate et doctrina reliquos præcellens, anno 1123, abbas IX illius celeberrimæ congregacionis eligitur, quam vitæ sanctitate et morum gravitate adeo suaviter gubernavit, ut adhuc inter mortales venerabilis abbas appellari meruerit et ad cœlites translatus fastis sanctorum inscriptus et ideo sanctus Mauritus nuncupatus sit. In condendis his statutis venerabilis abbas adhibuit totius capituli Cluniacensis consilium, et præfationem apologeticam pro quibusdam mutatis consuetudinibus antiquioribus præmittere voluit, imo cuilibet statuto causam et rationem ejus condendi subjecit. Quæ omnia sanctissimi abbatis prudentiam, pietatem et humilitatem manifestant, atque sequentia statuta piorum virorum lectionem merentur.

APOLOGETICA, HOC EST SATISFACTIONALIS PRÆFATIO DOMINI PETRI
CLUNIACENSIS ABBATIS DE QUIBUSDAM SUO TEMPORE
MUTATIS CONSUETUDINIBUS.

Quoniam res gestas, et maxime religiosas, memo-
riæ commendare semper utile est, visum est mihi,
ut ea, quæ in Cluniacensibus institutis a viginti
quatuor annis, hoc est ex quo officium pastorale in-
dignus suscepi, mutata, aucta, et dempta sunt,
scriptura mediante, ad modernorum et posteriorum
notitiam transmittam. Hoc eo modo facere decrevi,
ut non solum ea quæ, ut dictum est, mutata, aucta,
vel dempta sunt, ponam, sed et qua ratione variata
sint subjungam. Horum duorum alterum cognitioni rerum inserviet, alterum scandalum eorum qui,
causam mutationum ignorantes, et moti fuerant,
vel moveri poterant, fortasse sufficiet. Nulli enim
sapientium nova, inusitata, et mira videri debet
usuum ecclesiasticorum, si necessaria fuerit, et fre-
quens mutatio, quoniam aliud est, quod a Domino
æterna lege immobiliter tenendum præcipitur, alterum
quod ab hominibus utilitatis cuiuslibet causa
ad tempus non in perpetuum imperatur. Et illud
primum quidem idcirco mutandum non est, quia si
non servatur, nec salus æterna ullo modo conserva-
tur. Hoc vero secundum ideo quandoque mutatur,
quia quod aliquando utile fuerat, aliquando noxiū
comprobatur. Et, ut clarius eloquar, quæ veræ vir-
tutis sunt, nunquam mutanda sunt; quæ vero adju-
menta virtutum, pro congruentia rerum, personarum
et temporum utiliter dispensanda sunt. Nec
enim præceptum fidei, spei, vel charitatis, et quæ
sub ipsa charitate continentur, castitatis, humilitatis,
veritatis, et sinceritatis mandata mutari, quo-
libet dispensante, vel qualibet dispensatione pos-
sunt. Jejunia tamen, vigiliæ, opus manuum, corporalæ
exercitatio, quæ juxta Apostolum, utilis qui-
dem sed ad modicum est (*I Tim. iv*), et similia
istis, quæ enumerare prolixitas prohibet, nunc mi-
nui, nunc augeri, nunc omnino subtrahi certæ ne-
cessitatis vel charitatis causa præpositorum magi-
sterio debent. Hanc regulam apostoli ipsi securi-
sunt, hanc eorum successores apostoli pontifices,
hanc sancti monachorum seu eremitarum Patres,
hanc et præcedentes Cluniacensis ordinis magni et
egregii fundatores. Hos si nominare sigillatim neces-
sitatis imperaret, ostenderem a primo sancto Odone
usque ad ultimum sanctitatis titulo insignitum Ilu-
gonem sanctum Patrem, universos de institutis con-
suetudinibus plurima suis temporibus, urgente tam-
en necessitate, utili semper causa mutasse. Multa
cunim priores utiliter instituerunt, quæ sequentes
certa interveniente causa utiliter mutaverunt. Hos
ergo secutus quedam in pristinis usibus, certæ uti-

A litatis causa monente, mutavi, et idcirco, non ut
quidam olim in angulis, ad corroendendas carnes fra-
ternas, semotis locis insusurrabant, me, ista facien-
do, eis prætuli: imo hac sanctorum Patrum muta-
tione ab eorum tramite non deviavi. Feci tamen hoc
non solo arbitrio, sed, juxta Regulæ præceptum,
quorumdam Deum timentium ac sapientium fra-
trum consilio. Feci hoc tandem capituli universalis
assensu. Et, quia quod prætermittendum erat brevi-
ter prætermissum est, ad ipsa quorum gratia hæc
præcesserunt jam stylus accedat. Verum, quoniam
operi Dei nihil præponendum esse Regula præcipit,
nec ego ei aliquid in scribendo præferam; sed ab
ipso opere divino, hoc est ecclesiastico officio, ex-
ordium sumam.

B I. Statutum est ut omnes versus Regularium hora-
rum, exceptis hymnis, sub una et mediocri repausa-
tione decantentur, ita ut universorum voces si-
mul cessuram versus finiant, et post mediocrem, ut
dixi, repausationem, simul quoque aliam incipient.
Mediocrem vocavi, ad distinctionem illius quam
quidam facere solent, in cuius intervallo orationem
Dominicam, hoc est *Pater noster* sæpe bis, quandoque ter, olim ipse consummavi. Unde tantam esse
oportet, ut plene ab omnibus semper resumatur, et
mora ipsa labor cantantium allevietur. Ab hac
institutione Cluniacensis tantum conventus exce-
ptus est, ubi hoc servari non potest, quia ad istud
nec diurnæ horæ, nec nocturnæ visæ sunt posse
sufficere.

C Causa instituti hujus suit, ut confusa distinctio
cantantium, quam alii prius, alii posterius, et incipi-
ebant, et finiebant, uniretur, et intellectus ipse,
velut quodam communi silentio, simul pausando
reformaretur, et par diurnarum, sive nocturnarum
horarum, in superfluis et minus utilibus rebus prius
expensa, in tam utili et cœlesti divino opere expen-
deretur.

D II. Statutum est ne, propter ullam duodecim lectio-
num festivitatem, Dominicale officium intermitta-
tur, illis festivitatibus exceptis, quæ ex more in
cappis, vel albis flunt, et quæ proprietatem nocturni
cantus habent, hoc est integra responsoria, et exce-
ptis octavis apostolorum Petri et Pauli, et Assump-
tionis sanctæ Mariæ. Præter ista, quæ excepta sunt,
si duodecim lectionum festivitas die Dominica oc-
currerit, octo primas lectiones cum responsoriis
suis dies Dominica obtinebit. Reliquas quatuor cum
matutinis, Laudibus et Missa tantum matutinali
sibi sancti illius commemoratione vendicabit.

Causa instituti hujus fuit, quia frequentes, ac diversis occasionibus antiquis festis novae superadditæ solemnitates, immensam illam Dominicæ resurrectionis gloriam, nostræque per ipsam, et futuræ resurrectionis beatam spem, quæ duo omnis Dominicæ dies commendat, pene assidue interpolabant, et lectiones atque cantus proprios ad Dominicam pertinentes, quandoque per quadriennium et quinquennium auserebant. Eapropter, ut sacrosanctæ Dominicæ diei reverentia, quantum rationabiliter fieri poterat, reformaretur, et aures Ecclesiæ nostræ evangelicis seu apostolicis, Veteris quoque Testamenti lectionibus, sive Dominicæ diei deputatis, non defraudarentur, hoc præceptum est.

III. Statutum est ut nulla^a prorsus solemnitas, die Dominicæ proveniens, commemorationem Dominicæ diei ad matutinos et ad vesperas impedit.

Causa instituti hujus fuit, quæ supra, hoc est Dominicæ diei reverentia.

IV. Statutum est ut in die Dominicæ nemo in oratione genua flectat, exceptis genuflexionibus illis quæ a sacerdote ante et post missam fiunt, et illa, quæ ex longo jam usu pene ab omni Ecclesia observatur, quando in professione fidei ad missam cantatur. *Et homo factus est.* Illa etiam, quam communicantes ante perceptionem corporis Domini observare solent. Sed et illa, quæ sieri solet ab iis, qui portantii Eucharistiam, quolibet in loco occurrunt, atque illis metancœsis, quæ quotidiano usu in capitulo fiunt, et vulgo veniæ nominantur.

Causa instituti hujus fuit jam dicta reverentia Dominicæ diei, et universalis Ecclesiæ in canonibus decreta observatio.

V. Statutum est ut per omnia monasteria et ecclesias quæ ad Cluniacum pertinent, Transfiguratio Domini eo more quo Purificatio sanctæ Mariæ, excepta processione, cum lectionibus, responsoriis et officiis ad diem pertinentibus, celebretur.

Causa instituti hujus fuit ipsa admirabilis post nativitatem vel resurrectionem Christi, transfigurationis ejus; nulli alii diei solemnitati inferior, dignitas, et antiquus atque modernus multarum per orbem Ecclesiarum usus, quæ non minore quam Epiphaniam et Ascensionem Domini honore jam dictæ transfigurationis memoriam recolunt.

VI. Statutum est ut, dum major missa in conventu cantatur, nullus alicubi in toto monasterio missam cantet, quia occasione illarum missarum in tantum major et principalis missa negligebatur, ut vix quarta pars, cum eadem celebraretur, adasset.

Causa instituti hujus fuit, quod jam præmissum est, ne secretarum missarum occasione ea negligerentur, in quâ solempne sacrificium omnipotenti Deo non solum a sacerdote, sed et ab universa præsentialiter congregazione iis exceptis, qui nullo modo interesse possent, offerri a Patribus institutum est.

VII. Statutum est ut, paulo antequam jam dicta missa incipiatur, ad invitandum eos, qui extra ecclesiam per loca diversa hora illa dispersi sunt,

A privatis diebus aliquanto diutius duo signa pulsentur.

Causa instituti hujus fuit quia, ut præfatus sum, horis missam præcedentibus, per obedientias et per opera diversa dispersi fratres, tempore, quo missa cantabatur, ignorabant, et sæpe jam ea consummata, necdum cœptam esse putabant. Unde ne vel ipsi tam lucrosam animæ horam hac ignorantia amitterent, et laici extra manentes, aut peregrini undecunque convenientes, tempus illius solemnis missæ ignorare possent, decretum est ut tali signo universi studiosi pariter ac desides ad convenientem admonerentur.

VIII. Statutum est ut omnium monachorum Cluniacensium defunctorum anniversaria dies ab universis congregationis nostræ fratribus vigilia sancti

B Michaelis archangeli, more anniversariorum solemnium fiat, et vigilia Conversionis sancti Pauli aliud eodem modo anniversarium, pro omnibus utriusque sexus parentibus universorum fratrum congregationis nostræ.

Causa instituti hujus fuit ut licet quidquid ab Ecclesia Dei adhuc in terris posita pro defunctis fidelibus sit, nullo excepto, cunctis jam defunctis fidelibus, istoque adjutorio indigentibus prosit; tamen justum esse visum est ut super solita plus aliquid magis domesticis adderetur, quod ipsis specialiter, et cunctis, ut dictum est, hac cura indigentibus, universaliter subveniret.

IX. Statutum est ut prima Dominicæ Adventus Domini legatur principium Evangelii secundum C Marcum, quod sic incipit: *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta, et reliqua.*

Causa hujus instituti fuit quod ignotum ex quo tempore, et cuius instituto legebatur prius evangelium, et parum vel nihil ad diem Adventus Domini, quo per nativitatem suam mundo primo apparuit, pertinens, et magis passionis ipsius, quam incarnationis, vel nativitatis præcursioni congruens, hoc est: *Cum appropinquasset Hierosolymis, et venisset Betphage ad montem (Matth. xxi).*

X. Statutum est ut universi fratres Cluniacenses, omni sexta feria, præter Nativitatem Domini, si eadem die occurrerit, ab adipe abstineant.

D Causa instituti hujus fuit inconveniens non parvum, quod non solum clerici, non solum laici, sed et ipsi pueri et infirmi totius Latinæ Ecclesiæ ab omni esu carnis, et solidæ vel attritæ et liquefactæ pro more jam antiquo ea die, ob reverentiam passionis Dominicæ, abstinebant, soli monachi jam dicti adipe et legumina sua infundebant, et eo frixa diversa fercula assumebant. Insuper autem tam absurdum hoc omnibus præter monachos videbatur, ut nec ipsi pauperes datas sibi talium ciborum reliquias comederent, sed aut in posterum diem reservarent, aut statim indignantes projicerent. Unde, ut tam indecens nota ab ordine nostro tolleretur, et Dominicæ passionis abstinentiae publicæ reverentia, ab iis qui crucem Domini tollere magis,

quam eum sequi videntur, non infringetur, hoc præcepsum est.

XI. Statutum est ut ab omni mellis ac specierum cum vino cōfectione, quod vulgari nomine pigmentum vocatur, cœna Domini tantum excepta, qua die mel absque speciebus vino mistum antiquitas permisit, omnes Cluniacensis ordinis fratres abstineant.

Causa instituti hujus fuit aliquod, licet parvum abstinentiae incrementum. Etnon solum hoc, sed et vera Patris magni Benedicti, de mensura potus monachorum, ut notum est, loquentis. *Licet, inquit, legamus vinum omnino monachorum non esse*, et reliqua. Quod si juxta hæc verba vinum omnino monachorum non est, quia tamen, fragiliores primis monachis posteriores fuerunt, vix indultum est, qua auctoritate, quæ ratione transmarina vel Orientalis species magno labore quæsita, multo pretio empta, yino pauperum et abstinentium monachorum postmodum admista est? Cumque velut ex magna condescensione infimo discipulo Apostolus præcipiat, dicens : *Modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates (I Tim. v)*, quid dicent monachi, non ægri, sed sani; non infirmi, sed robusti; non parvo, sed multo; nec solum multo, sed et mellito; nec solum mellito, sed et regiis speciebus vino cōfecto utentes? Et cum jam dictus ipsis et laicis præcipiat Apostolus : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (Ephes. v)*, quid fieri de monachis non solum ebrietatem non præcaventibus, sed ut magis eam provocent, peregrinis saporibus gulam irritantibus.

XII. Statutum est ut, exceptis infirmis et omnino debilibus, carnis nullus vescatur.

Causa instituti hujus fuit ipsa Regulæ auctoritas, in qua hoc idem præcipitur, et ne sanus et integris viribus monachus carnem comedat, prohibetur. Insuper etiam quia nulla rationabilis causa mutandi hujus capituli inveneri poterat, sicut in quibusdam aliis ejusdem Regulæ olim mutatis capitulis a Patribus inventa est.

XIII. Statutum est ut, si vigiliæ festivitatum, quæ publica jejunia habent, die Dominica provenerint, Sabbato præcedenti jejunium observetur.

Causa instituti hujus fuit imprimis quidem reverentia et amor sanctorum, secundo tamen loco incongrua nec honesta nostræ consuetudinis ab aliarum Ecclesiarum usu dissonantia, quia et Romana Ecclesia, et aliarum Ecclesiarum universitas, nostris tantum exceptis, jejunia vigiliarum modo supra scripto servabant.

XIV. Statutum est ut jejunia regularia ab Idibus Septembbris usque ad caput Quadragesimæ a nosiris, semel in die comedendo, serventur, excepto festo S. Michaelis, et Dedicationis Ecclesiæ, et Apostolorum, extra Adventum, et Septuagesimam, provenientibus festivitatibus abbatum Cluniacensium, octo diebus Natalis Domini, Epiphania prima tantum, die festo sancti Marcelli papæ et sancti Vin-

A centii martyris, atque Purificationis sanctæ Mariæ. Conversione vero sancti Pauli jejunium non solvetur, quoniam de eodem apostolo alias aliis anni temporibus festivitates Ecclesia celebrat. Cathedra sancti Petri eadem jejunium relaxabitur, et etiam, quia infra Septuagesimam festivitas illa semper occurrit. Tunc vero post missam majorem statim Sexta cantabitur, et facto intervallo Nona sequetur.

Causa instituti hujus fuit multiplicitas noviter adinventarum festivitatum, quæ magis fortasse causa quorundam commodorum, quæ proferre nolo, quam amore sanctorum, acclamazione quoque velut indocti vulgi adiuta, majus jam dicti temporis spatium occupabant, et ex Regula injuncta jejunia, frequentatis bonis commestionibus, jam B pene universa excluserant. Unde eodem modo servata-utrinque sobrietate res diffinita est, ut in duodecim lectionum festivitatibus sanctis jam institutis honor non minueretur, et ex Regula præceptum jejunium, ex quanta rationabiliter parte fieri potest, servaretur.

XV. Statutum est ut omni die Adventus Domini, excepta prima Dominica, ab adipe, qui in duodecim lectionum festis in usu esse solebat, omnes abstineant; et nec in eisdem festis, quod similiter antiquo ex more fiebat, nec in ipso festo sancti Thomæ apostoli bis comedant.

Causa instituti hujus fuit ipsorum dierum ab omni pene Ecclesia solito major ob præparationem Domini Natalis servata abstinentia, ut sacros dies illos, quos multi alii majoribus jejuniis dedicant, nostri saltem mediocribus dedicarent.

XVI. Statutum est ut nullus fratribus nostrorum pannis, qui dicuntur galabruni, vel isembruni, vestiatur, nec iis qui vocantur scalfa:ii, vel frisia, exceptis Anglis vel Angliae affinibus monachis, neque illis, qui appellantur agnelini, exceptis Teutonicis et iis adjacentibus monachis : hac tamen conditione, si magis religioni congruentes nigri coloris vestes in regionibus suis invenire non potuerint.

D Causa instituti hujus fuit, supra quam dicere velim, sicut et ipse vidi, talium vestium notabiliter inhonesta et turpis curiositas, qua olim multi nostrorum, non aliter quam sæculares homines series variis vel grisiis vestium generibus se comebant, et electo ad intimam cordis humilitatem designandam humiliore cunctis coloribus nigro colore, ipsa repugnante natura ornare se, velut sponsi procedentes de thalamo, summo studio contendebant. Versa res jam erat in habitum, nec in iis delinquerre se, cæcati usu longissimo, sentiebant.

XVII. Statutum est ut nullus fratribus Cluniacensium, cattinis, sive aliis, quibus uti solebant, peregrinis pellibus, induatur, nec prorsus quibuslibet, exceptis arietinis, sive agninis, atque caprinis pellibus, et ad cooperatoria facienda solummodo, sicut hoc magis placuerit, putosiorum, et, juxta aliorum linguam, vesonum pellibus.

E Causa instituti hujus fuit multa, ut supra de pan-

nis dictum est, cattinarum, sive aliarum pellium notabilis et damnable curiositas, quæ in tantum, ut ipse novi, processerat, ut Gallicanorum cattorum pellibus contemptis, ad Iberorum vel Italorum cattos, religiosorum hominum curiositas transmigraret. Nil se habere non parva piorum, eisque adhaerentium multitudo putabat, nisi ex pilosis illis et condensis Numantinorum, hoc est, juxta modernos, Amorensium cattorum pellibus contexto multi pretii cooperario, lectus et muniretur pariter et ornaretur. Quod malum paulatim succrescens, ad hoc jam pervenerat, ut fere centum solidis empta cooperatoria, addito quoque vestium non mediocri pretio, ditiores domos congesto multo alieni æris debito, non parum gravarent, pauperiores pene omnino pessum darent.

XVIII. Statutum est ut nullus scarlatas, aut barracanos, vel pretiosos burellos, qui Ratisboni, hoc est apud Rainesbors fiunt, sive pœcia quolibet modo stramina habeat, sed solummodo cilicum superjectis tantum duobus mediocris pretii pannis, qui albi et nigri, et ex utroque misti coloris sint; et qui non duplices, aut quadruplices, seu multiplices, ut a quibusdam fieri solet, sed simplices fratribus supponantur.

Causa instituti hujus fuit, ut in aliis vestium generibus damnata curiositas etiam a lectis monachorum removeretur, maxime cum ante tempora S. Hugonis, non nisi cilicio, superposito tantum uno et simplici panno aliquis uteretur.

XIX. Statutum est ut in infirmaria Cluniacensi, quæ quinque habitaculis sub uno tecto divisis distinguitur, tali discretione silentium teneatur, ut in ea parte, in qua fratres defunguntur, quæ media est, et in illa quæ superior a parte meridiana est, silentium et collocutio antiquo more servetur; in tribus vero aliis claustris regularis silentium teneatur. Sic in cella novitiorum et adjacenti claustro sive officinis, exceptis novitiis, et eorum magistro, qui ubi et quando loqui solent, loquentur; exceptis etiam episcopis et abbatibus supervenientibus majore priore, et subprioribus ordinis custodibus, qui in partibus illius cellæ novitiorum, et ipsi loqui poterunt, et in præsentia tantummodo eorum alii. In operatoriis vero universis continuum teneatur silentium, excepto uno tantum magistro uniuscujusque operatoriæ domus, et exceptis operariis novæ ecclesiæ et operatoriis ipsorum. Teneatur, insuper claustrum silentium in cœmeterio, et claustro cœmeterii, in sacristiis omnibus, et via quæ ad domos superiores dicit, quæ juxta majorem ecclesiam sunt et in adjacentibus locis, exceptis supradictis abbatibus et prioribus, quibus in partibus illis loqui supradicto modo licebit.

Causa instituti hujus fuit summe necessaria in omni religione silentii utilitas, sine quo modis congruis observato, nec dici religio, nec esse potest. Cujus laus in Scripturis sanctis tanta est, ut inter innumera ejus præconia, de illo etiam magnus pro-

A pheta Isaias dicat: *Cultus justitiae silentium (Isa. xxxii)*. Quod quia Cluniaci, propter frequentiam negotiorum et multitudinem supervenientium, valde ex aliquanto tempore corruptum fuerat, necessarium visum est ut hic modus silentii, sicut supra distinctus est, institueretur.

XX. Statutum est ut quadragesimali tempore additis ad silentium tribus diebus, hoc est tertia feria, et quinta et Sabbato, quibus in claustris juxta momum pristinum locutio esse solebat, continuum per totam Quadragesimam silentium teneatur.

Causa instituti hujus fuit tam sanctorum dierum reverentia, quia non plene religiosum videbatur, ut illis summæ abstinentiæ, et omnium virtutum diebus, virtus silentii colloquiis non valde necessariis B publice interpolaretur.

XXI. Statutum est ut de usitatis in claustro binis locutionibus, secunda omni totius anni tempore subtrahatur.

Causa instituti hujus fuit nulla prorsus ejus utilitas, nulla necessitas, a quibus aliquando horam diei apud religiosos vacare, non solum otiosum, sed etiam perniciosum. Occupat enim illius temporis spatum inutilis, imo noxia loquacitas, quod modo sibi assumit lectionibus et cantibus divinis salubris taciturnitas.

XXII. Statutum est ut silentium ad mensam sic ut in regulari refectorio ubique et ab omnibus teneatur. Sed, si extra refectorium regulari comedenti quilibet superveniret, surget; cumque invitabit, loquetur, et stando, quantum necesse fuerit, postquam resederit, ut prius tacebit.

Causa instituti hujus fuit Apostolus etiam laicis præcipiens: Unusquisque panem suum cum silentio manducet. Etiam S. Benedictus monachis imperans et dicens: *Summum fiat silentium ad mensam*; etiam antiqui seu moderni temporis religiosi, qui ubicunque comedant, rigorem silentii nullo relaxant. Nec honestum est Cluniacensibus videri minus religiosos, per quos in Galliis, Germania, Anglia, Hispania, Italia, ac tota fere Europa a multis annis arefacta religio resloruit, multorumque inveteratus tempor, divina præeunte et comitante gratia, recaluit.

XXIII. Statutum est ut in claustrum, vel in reliquias regulares domos nullus clericorum aut laicorum ingrediatur, nisi aut causa operis alicujus, aut causa videndi domos, ut honesti hospites facere solent, aut causa medendi infirmis in infirmitate jaacentibus.

Causa instituti hujus fuit clericorum, aut laicorum, et maxime famulorum, adeo frequens per claustrum, quibuslibet de causis, transitus ac regressus, ita ut pene in stratam publicam claustrum vertisse, et in eundo ac redendo, fere jam a monachis nihil distare viderentur.

XXIV. Statutum est ut infirmis ipsis, vel quibuslibet in infirmaria comedentibus, nullus, ut fieri solebat, famulorum laicorum serviat, sed monachi tantummodo, aut conversi barbari.

Causa instituti hujus fuit honestior conversorum quam sacerdotalium famularum cum monachis cohabitatio, et ne materiam surandi ea quae de mensa in infirmaria comedentium supererant, servientes fratibus conversi haberent sicut priores famuli, quaecunque palam vel furtim fratibus subripere poterant, uxori, filiis, ac qualicunque familiolare suae in burgo constitutae deferre solebant. Praeter hoc, et illud in causa fuit, quod secreta monastici ordinis, aut disciplinas regulares, qua ultipli in regulis officinis assidue commanentes, vel videbant, vel ab aliis audiebant, more sacerdotalium sacerdotum vulgantes detegebant.

XXV. Statutum est ut loco famulorum, qui mane vociferando fratres in infirmaria jacentes in honeste ad missam vocare solebant, scilla ad hoc in sublimi infirmariæ loco suspensa pulsetur.

Causa instituti hujus fuit, quia aptius et honestius visum est ut fratres in infirmaria dormientes signi ubique usitati sono excitarentur, quam incongruo in summi silentii tempore verbo, ut saepe contingit, terrorerentur.

XXVI. Statutum est ut meridianæ jejuniorum, quæ in aestate post Sextam fieri solent, momentaneæ, et simulatilæ, dimittantur, et pro spatio illius temporis quod inutiliter expendebatur, fratres in claustru sedeant, et legant, aut missas cantent, aut aliquid necessarii operis agant.

Causa instituti hujus fuit ipsa, ut dictum est, inutilis occupatio temporis, quia pro more antiquo diebus jejunii, quæ in aestate proveniunt, necesse erat fratibus ante missam et mensam, non ad dormiendum, vel quiescendum, sed ad dormitionem et quietem simulandam, se exscoliare, discalceare, vel ut longo somno seipso in lectis componendo, et bene operiendo preparare. Et quidem antiquus monachorum mos erat jejuniorum diebus detrimenta usitati sonni congruenti dormitione ante mensam compensare. Unde Hieronymus: *Sæpe vacuo ventre dormiendum est.* Sed quia sequentes monachi antiquis curiosiores, physicæ sectatores, ventre vacuo dormire inutile corpori judicaverunt, ad eam brevitatem meridianos jejuniorum somnos redigerunt, ut meridianæ quietis nullam veritatem, sed solum veritatis simulacrum retinerent. Adde- D bant (quod salva pace eorum loquor), jam dictæ simulationi magis ridendam superstitionem, ut velut graviter dormientes prolixiore sonitu signi excitarentur, et quasi longa lectorum revolutione hispida et incompta manus abluerent, capita comedrent, et omnem prorsus solemnitatem longissimæ meridianæ explerent. Unde judicatum est ut corporis tam inutili labori inserviens, lectionibus, cantibus, et sacrificiis divinis seu quibuslibet utilibus exercitiis impenderetur.

XXVII. Statutum est ut non vasis illis vinariis, quæ justitiæ vocantur, sicut olim facere cogebantur, sed propriis scyphis unusquisque bibat, eo tempore quo post Nonam ad potum fratres pergere solent.

PATROL. CLXXXIX.

A Causa instituti hujus fuit ipse ineptus, et omnibus displicens bibendi modus, quo urgebantur fratres scyphis depositis, justitiis bibere, nec in ipso mustarum tempore, quid intus lateret discernere.

XXVIII. Statutum est ne calcearios cum corrigiis, quia inutiliter laboriosum erat, Sabbato abluant.

B Causa instituti hujus fuit quia olim ubique necessitas occurrebat, sub dio operantes, et pluviis et lutosis diebus monachi calcearios suos, ipsa operis necessitate cogente, luto plerumque infectos, ad claustrum revertentes, lavabant. Inde superstitione descendens, cum illi hoc ex necessitate ficerent, et illos qui per annum et biennium de claustro nusquam procedentes, sua et mundissima et nova calceamenta lavare quidem, quia necessarium non erat, non compellebat, sed duorum tantum digitorum extremis summitatibus duabus aut tribus aquæ guttulis infundere imperabat.

XXIX. Statutum est ut fratres equitantes froccum simul et cappam ferre non compellantur, sed aut frocco simplici, aut cappa tantummodo, si voluerint, indui iter faciant.

C Causa instituti hujus fuit vestium ipsarum munditia, ne, ut fieri solebat, fratrum claustra ingredientium frocci et tunicae luto, pluviis vel lutosis diebus contracto infesti ac sordidi apparerent, et insuper labor itineris alleviaretur, et antiquus de hac re utiliter institutus modus reformaretur.

XXX. Statutum est ut morem veterem, quo sine involucris crurum leuca plus una æquitare prohibebatur, tenere, si voluerint, non cogantur.

Causa instituti hujus fuit quia nulla ratio apparabat, qua cogerentur absque necessitate quibuslibet involucris crura involvere, et quod necessitatibus tantum causa permisum fuerat, sine ulla necessitate portare.

XXXI. Statutum est ut psalmi illi, qui a, *Dcus, auribus nostris*, incipiunt, post orationem quæ sit ante vesperas decantari solent, in omni xii lectiōnum festivitate intermittentur.

Causa instituti hujus fuit, laboriosa, imo pluribus odiosa psalmorum familiarium paulatim multis de causis adacta multiplicitas. Quæ quia multos gravabat, multorum et totius pene conventus postulatione in hac parte immutata est.

XXXII. Statutum est ut defunctis fratibus nostris, universis scilicet professis, die anniversarii, quo recitari nomina eorum à lectore, sicuti mos est, in capitulo solent, quinquaginta præbendæ dentur, tali conditione, ut sive plura sint, sive minus, quam quinquaginta, ultra numerum jam dictum nec augentur præbendæ, nec minuantur.

Causa instituti hujus fuit mira virtutum discretio, quia difficile visum est, et etiam importabile, ut si multiplicitas defunctorum usque ad octogenarium et centenarium, aut forte infinitum numerum, assidue decedentibus fratibus se extenderet, quod pari modo præbendarum numeros. Nullus enim

monasterii substantia, si a prioribus institutus mos servaretur, diu ad hoc sufficere posset. Raris tamen adhuc diebus defunctorum fratrum nomina usque ad quinquagenarium numerum perveniunt.

XXXIII. Statutum est ut quidquid de mensa quotidiana a fratribus superest, eleemosyna communis accipiat.

Causa instituti hujus fuit, quia contra morem pene omnium tam religiosorum quam sacerdum, si tantum de pane cuilibet fratri superesset, quod panis more absque casu in mensam subsistere possit, non eleemosynæ, sed custodi reectorii, ut servaretur in crastinum, reddebaratur. Quidquid autem vini supererat exceptis quibusdam jejuniorum diebus, et die, qua frater defunctus tumulabatur, custos vini in crastinum similiter reservabat. Hoc quia in honestum videbatur, et ut insuper id eleemosynæ adderetur, omnes absque aliqua exceptione mensarum, reectorii atque infirmariæ reliquæ eleemosynæ datæ sunt.

XXXIV. Statutum est ut dies rasurarum aliter ex parte, quam fieri solebat, immutarentur ita ut prima rasura fieret die præcedente vigiliam Natalis Domini. Secunda propter assiduam mutationem quadragesimalis initii, juxta domini abbatis aut prioris dispositionem, medio vel congruo die inter jam dictam rasuram Natalis Domini et primam Dominicam Quadragesimæ fiet: quæ secunda rasura nunc maturius, nunc tardius occurrit, sed quando major quinque, quando minor trium hebdomadarum est; tertia, Sabbato præcedente eamdem primam Dominicam Quadragesimæ; quarta feria tertia hebdomadæ Palmarum; quinta, Sabbato Paschalis Dominicæ, qua cantatur, *Jubilate Deo*; sexta, feria sexta ante Pentecosten et natalem apostolorum Petri et Pauli, sed quando hæc prolixitas temporis exegerit; (*septima deest*) octava, die præcedente vigiliam apostolorum Petri et Pauli; nona, vigilia sancti Jacobi Apostoli; decima, die præcedente vigiliam Assumptionis beatæ Mariæ; (*undecima deest*) duodecima, vigilia sancti Michaelis. Tertia decima, vigilia Omnium Sanctorum. Quarta decima, vigilia sancti Andreæ Apostoli.

Causa hujus instituti fuit earumdem rasurarum importuna, et fratribus, maxime in hieme, molesta frequentatio.

XXXV. Statutum est ut nullus in monachum Cluniensem recipiatur absque Cluniensis abbatis præceptio et permissione, sicut mos est, nisi ad succurrentum, exceptis magnis et utilibus personis, quæ si differentur, levitate fortassis animi retrocederent; nec in incepto conversionis proposito permanerent.

Causa instituti hujus, imo renovatæ institutionis fuit frequentissima inutilium personarum per cuncta pene Cluniensia loca, et indiscreta susceptio. Qua indiscreta susceptione nunc rusticorum, nunc infantium, nunc senum, nunc stultorum, nec ad aliquod opus utilium, eo jam res pervenerat, ut

A talium personarum jam fere major numerus habetur, et frequentia, ac nefanda mala ab eis commissa, quæ quia etiam relatu in honesta sunt reticeo, pene assidue a diversis terrarum partibus audiuntur.

XXXVI. Statutum est ut nullus etiam ex concesione futurus monachus regularibus usque ad xx annos vestibus induatur.

Causa instituti hujus fuit immatura nimisque celer infantium susceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiae habere possent, sacræ religionis vestibus induebantur, et admisti aliis pueribus ineptiis omnes perturbabant, et ut quædam taceant, et multa breviter colligant, et sibi nihil pene proderant, et aliorum religiosum propositum non parum, imo quandoque plurimum, impediabant.

XXXVII. Statutum est ut pro annua et regulari probatione, saltem menstrua, hoc est, unius mensis probatio erga novitios observetur, antequam voto promissæ obedientiæ astringantur.

Causa instituti hujus fuit quia annua et ex Regula præcepta probatio discretione succendentium Patrum temperata ad hoc devenerat, ut non dico annus, non dico dimidius, sed nec mensis, nec hebdomada, nec aliquando erga novitiorum probationem dies integra servaretur. Quod quia omnino, et contra rationem et contra Regulæ decretum erat, quæ præcipit probari spiritus, si ex Deo sunt (*I Joan. iv*); visum est esse rationabile, ut unius saltem mensis novitiorum probatio observaretur, tali modo ut frocco tantum induti, et ut alii regulariter rasi ac tonsi, absque verbi vel scripti alicujus professione, tam in cella novitiorum quam in claustrō, cum cæteris ex more permaneant. Si finito mense vel verbo coram priore ac fratribus, et scripto coram domino abbatे stabilitatem suam firmaverit, et obedientiam professus fuerit, corpori monasterii, juxta verba Regulæ societur. Si vero infra jam dictum mensem recedere voluerit, facultas ei libera concedatur.

XXXVIII. Statutum est ut modo, quo prædiximus, extra Cluniacum novitii recepti usque ad primum, vel secundum, aut plus tertium annum ad benedicendum Cluniacum adducantur, nec interim, sicut usus Cluniensis exigit, et ad ordines ecclesiasticos ascendant, et missam ante ordinati cantent, aut extra claustrum curam alicujus obedientiæ administrent.

Causa instituti hujus fuit, nimis tardus ad Cluniacum novitiorum extra Cluniacum susceptorum adventus. Unde lex talis data est, ut quia priores parcentes sumptibus, per x, aut xv, sive vel xxx, quandoque annos novitios Cluniacum ducere et mittere differebant, saltem præscripta lege coacti eos vel ad benedicendum, vel si extra benedicti fuerint, ad obedientiam rursum in Cluniaco coram fratribus adducant vel mittant.

XXXIX. Statutum est ut antiquum et sanctum

opus manuum, vel in claustris ipsis, aut ubi honeste remotò conspectu sacerdotalium sieri poterit, ex parte saltem aliqua restauretur, ita ut omni tempore præter festivos dies, quibus operari non licet, quolibet semper fratres utili opere exerceantur.

Causa instituti hujus fuit, quia otiositas, juxta Patrem Benedictum inimica animæ, in tantum magnam partem nostrorum, eorum maxime qui conversi dicuntur, occupaverat, ut in claustris, vel extra claustra, præter paucos legentes, et raros scribens, aut adhærentes claustris parietibus dormitarent, aut ab ipso, ut sic dicam, ortu solis usque ad ejus occasum, imo fere medium noctem, quibus impune licebat, totam pene diem vanis, otiosis, et (quod pejus est) plerumque detractoriis verbis consumerent.

XL. Statutum est ut nullus priorum, nullus aliorum iter faciens, ducat secum plus quam tres equituras, vel si prior ordinis fuerit, quatuor, aut plus quinque: et hoc tam propter honestatem aut testimonium societatis, quam propter officia ecclesiastica studiosius decantanda.

Causa instituti hujus fuit, ne fastus vel curiositas in ministris, vel iter agentibus notaretur, et monasteriorum, vel quorumlibet hospitum gravamen, quantum posset fieri, vitaretur.

XLI. Statutum est ut ubiunque facultas loci permiserit, exceptis decanis, XII fratres constituantur addito tertio priore, plerumque ordinem tenent.

Causa instituti hujus non est necesse scribere, quia patet omnibus.

XLII. Statutum est ut ubi XII fratres esse non potuerint, saltem in refectorio et dormitorio semper, in claustro vero ab hora vespertina usque ad horam tertiam alterius diei, perfectum silentium teneatur. Nam quod universaliter in omnibus Ecclesiis semper et ubique teneri debeat, certum est.

Causa instituti hujus ut, si fratres in talibus locis plenum ordinem tenere aut non possent, aut nollent, saltem aliquam umbram, vel vestigium, vel particulam ordinis retinerent, ne integra die nugacibus verbis aut rebus vacantes, in nullo a sacerdotalibus differre viderentur.

XLIII. Statutum est ut nullus nostrorum ad sacerdotium provehatur usque ad XXX vel saltem XXV annos.

Causa instituti hujus fuit ut, juxta decreta sacerdorum canonum, ne adolescentes, ne illitterati, ne illi, qui nondum capere possunt, quantum, quam divinum, quam excellens sit sacerdotale officium, ad sacra illa cœlestia, magis temerarii præsumptores, quam digni administratores accederent.

XLIV. Statutum est ne quis terras, vel thesauros Ecclesiarum dare, vendere, commutare, pro vadimo alicubi, vel apud aliquem sine domini abbatis præcepto vel consilio deponere, vel impignorare audeat. Quod si fecerit, a fratribus suorum et

A totius Ecclesiæ communione alienum se esse cognoscat.

Causa instituti hujus fuit audita et cognita quorundam priorum temeritas, qui aliquando ita fecisse probati sunt.

XLV. Statutum est ut clericorum aut laicorum ad nos non pertinentium homines vel servi domesticorum Cluniacensium procuratores cellarii vel præpositi nullatenus siant.

Causa instituti hujus fuit frequens damnum experientia, quæ a talibus vel talium occasione, plerisque monasteriis Cluniacensibus illata sunt.

XLVI. Statutum est imo renovatum, ut nullus priorum, de prioratu ad alterum prioratum translatus, famulum aliquem ad sibi commanendum de B priore loco adducat.

Causa instituti hujus fuit sinistra quarundam rerum, nec non dicendarum suspicio, imo magis probatio, quæ etsi olim in his famulorum de locis ad loca translationibus provenerint, hoc decreto, quantum sieri potuit, provisum est ne de reliquo provenirent.

XLVII. Statutum est ne sanctimonialibus aut conversis mulieribus juxta domus monachorum infra duas leucas ad minus habitatio aliquatenus concedatur.

Causa instituti hujus fuit ne, in quibus maxime cavendum est, contra apostolorum præceptum locus diabolo daretur, sed ut cum somite iniquitatis omnis ejus etiam suspicio tolleretur; impulit magis ad hoc instituendum quorundam temeritas, qui mulieribus sanctimoniam vel conversionem professis terrarum pecunia gratia habitacula juxta domos parare jam cœperant.

XLVIII. Statutum est ne hi qui vocantur familiares, hoc est nec monachi nec conversi, quorundam monasteriorum pessimi destructores, nec etiam pro maximo lucro alicubi recipiantur.

Causa instituti hujus fuit familiarium illorum multis nota perversitas, qui nec Deo servientes, nec manibus operantes, nec aliud utile domibus providentes, ad garriendum, ad detrahendum, ad dissipandum, quæ poterant, in quibusdam monasteriis et alebantur et vestiebantur.

D XLIX. Statutum est ne quis fratribus nostrorum, in propriis saltem locis sine lumine noctibus dormiat. Qui, si adeo pauper fuerit ut propriam lucernam in dormitorio suo providere non possit, illam quæ in ecclesia fuerit, accipiat, et ad dormitorium transferat.

Causa instituti hujus fuit ut filii lucis semper in luce etiam corporali convergentur, quia, juxta Apostolum, de spirituali loquentem: *Omnis filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum (I Thess. v).* Quod licet, ut dixi, de illa spirituali luce dicat, hoc ipsum de corporali tamen simul et spirituali, ait Dominus: *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem; ut non aruantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit*

ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta (Joan. iii).

L. Statutum est ut sex diebus infra octavas Assumptionis sanctæ Virginis Matris Domini, et eodem modo infra octavas apostolorum Petri et Pauli, XII lectiones ex Evangelio, XII aliæ ex prophetis, vel ex propheticis libris, aut Actibus apostolorum, vel Epistolis eorum, sicut a me excerptæ sunt, ad majorem missam legantur. Infra octavas scilicet sanctæ Mariæ sex ex Evangelio, et iterum sex ex prophetis, sicut dictum est, aut propheticis libris. Infra octavas vero apostolorum, sex similiter ex Evangelio, et sex ex Actibus apostolorum, vel Epistolis eorum.

Causa instituti hujus fuit specialis, quem, post Salvatorem nostrum, erga sanctam matrem ejus, et erga sanctos apostolos Petrum et Paulum habere debemus, amoris affectus; et quia ad eorum venerationem et amorem non adeo plerosque audientium accendebat toto pene anno frequentatæ, quantum rarius auditæ lectiones.

LI. Statutum est (quod tamen antiquum, sed neglectum erat) ne quis fratum a communi refectorii mensa surgentium, ante a choro ecclesiæ, quem ex more omnes ingredi debent, discedat, quam similiter omnes pro perceptis beneficiis omnium bonorum benigno largitori usque ad ultimum *Benedicamus*, gratias agat, excepto mensæ lectore, vel ejus custode, si custodiæ idem lector deputatus fuerit.

Causa instituti hujus fuit quod ecclesiam plerique, imo multi fratum, post mensam cum conventu ingredientes statim a choro, levi qualibet ex causa recedebant, nec debitas cum fratribus suis Deo gratias agebant.

LII. Statutum est ut magnæ illi coronæ, ex ære, auro, argenteoque elegantissime compositæ, quæ in medio chori forti catena sustentata dependet, accensi cerei non imponantur, nisi in quinque præcipuis festis, et festo Dedicationis ecclesiæ et Omnium Sanctorum. In reliquis vero festivitatibus, quibus accendi solebat machina illa ferrea, quæ vulgo cræta vocatur, pro illa lampadibus vitreis illustretur.

Causa instituti hujus fuit, superfluæ, et velut ex adipe prodeuntes, cum non nisi ex macie procederent, expensæ, et nimis frequens ac viliorum reddens dignitatem solemnitatum, cereorum illorum super coronam accensio, quia, juxta antiquorum sapientium dicta, nihil tam charum et pretiosum est, quod assiduitate non vilescat.

LIII. Statutum est ut pars illa novi monasterii, quæ ad sinistram partem post chorū sinistrum est, clericis vel laicis non pandatur, nec quibuslibet, ut fieri solebat, præter monachos, ad eam aliquo tempore accessus sit, exceptis Dominicis diebus, et solemnibus Ecclesiæ festivitatibus: et hoc tantum a principio horæ tertiae usque ad finem majoris missæ. Excipitur nox Nativitatis Domini, et

A nox apostolorum Petri et Pauli, et etiam nox illa, quæ ad Vincula sancti Petri dicuntur. Excipiuntur et peregrini omnes qui causa orationis vel oblationis altare majus, aut matutinale adire voluerint.

Causa instituti hujus fuit ut quia fratres præter veterem ecclesiam S. Petri non habebant ubi quædam sacra et secretiora ad religiosos homines pertinentia exercere valerent, jam dictam illam novæ ecclesiæ partem sibi diebus et noctibus vendicarent; ubi sancta et secreta orationum aromata Deo assidue accenderent, frequentibus metancœis vel genuflexionibus pio Conditori supplicarent, ac tribus saepe flagellis vel ob pœnitentiam, vel ad meritum augendum corpus attererent et his ac similibus sacris studiis velut in eremo, ab hominum remoti conspectibus, incessanter se suosque Domino commendarent.

LIV. Statutum est ut ad altare matutinalis missæ quod est consecratum in honorem B. Mariæ, de eadem Matre Domini missa quotidie secreto decantetur.

Causa instituti hujus fuit, ut quotidiana ad Dominum oblatione Mater quoque Domini specialiter honoraretur, et ipsa ad subveniendum specialibus post Dominum servis suis talibus obsequiis animaretur.

LV. Statutum est ut conventus, qui, domino abbe in capitulum veniente, ex antiquo more non solum ei assurgere, sed et per omnes inferiores gradus ad terram usque descendere solebat, assurgat quidem reverenter, sed scamnum subpedaneum descendendo non transgrediatur.

Causa instituti hujus fuit quia, licet ex multo et magno, quem semper Patribus suis Cluniacenses fratres exhibent, amore et reverentia, hoc ab antiquis et bonis viris decretum sit, visum et tamen parcendum esse in hoc labore multitūdini maximæ propter senes et debiles, quorum major in eo tempore numerus ccc, vel cccc fratribus erat, quam priore illo inter fratres sexaginta, aut ad plus octoginta.

LVI. Statutum est ut parvi scholares, dum ad suffragia sanctorum orationes dicuntur, neque in refectorio, juxta morem antiquum, comedentes stare compellantur.

Causa instituti hujus fuit ne ea debiliiori ætati necessitas imponatur, quæ a fortiore non exigitur, cum pius Pater Benedictus de hujusmodi dicat: *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in iis ætatibus, senum videlicet et infantum, tamen et ipsa auctoritas Regulæ eis prospiciat*

LVII. Statutum est ut in festivitatibus XII apostolorum, *Credo in unum Deum*, ad missam majorem dicatur, sive ad alias quaslibet missas, quæ extra conventum cantantur.

Causa instituti hujus fuit aliarum Ecclesiarum, et pene omnium rationabilis mos, quem ab antiquis Patribus institutum retinent, ut in illorum festis

professionem fidei Christianæ decantent, super quos et per quos principaliter post Christum fides Ecclesiæ fundata est, scribente hoc idcm magno apostolo Paulo Ephesiis, cum dicit: *Superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (Ephes. ii), et reliqua.*

LVIII. Statutum ut solemni nocte Natale Domini ad missam de luce cantetur prosa, cuius initium, *Cœlestē organum.*

Causa instituti hujus fuit quia illius cuius principium erat, *Nostra tuba*, series verborum incomposita, nihil pene ad Nativitatem Salvatoris pertinens, longe amplius incomptiore cantu, cunctis hoe advertentibus displicebat.

LIX. Statutum est ut quatuor primis hebdomadib⁹ Quadragesimæ antiphonæ, quæ in quinta feria ad *Benedictus*, et ad *Magnificat*, dici consueverant, mutarentur, et pro illis aliæ cantarentur: Quinta feria primæ hebdomadæ ad *Benedictus*: *Si manseritis in sermonemeo*; ad *Magnificat*: *Cognoscite veritatem*. Quinta feria secundæ hebdomadæ ad *Benedictus*: *Non possum a meipso*; ad *Magnificat*: *Non quero voluntatem meam*. Quinta feria tertia hebdomadæ ad *Benedictus*: *Operamini non cibum qui perit*; ad *Magnificat*: *Hoc est opus Dei*. Quinta feria quartæ hebdomadæ, ad *Benedictus*: *Non potest Filius a se facere quidquam*; ad *Magnificat*: *Pater diligit Filium*.

Causa instituti hujus fuit, quoniam antiphonæ quæ prius dicebantur, aliorum temporum erant; et cum alio tempore cantarentur; velut mutuo acceptæ rursum in Quadragesima cantabantur, hoc est, *Pater Abraham*; *Fili, recordare*; *Exibant autem dæmonia a multis*; *Cum sol autem occidisset*; *Propheta magnus surrexit in nobis*; *Accepit omnes timor*. Et quod magis absurdum erat, quinta feria primæ hebdomadæ dicebantur antiphonæ: *Missus sum ad oves*; *O mulier, magna est fides tua*. Quæ antiphonæ statim sequente Dominica secunda, ex Evangelio ipsius Dominicæ iterum cantabantur. Quod sicut a quibusdam prioribus accepi, idcirco contigit, quia iam dictæ feriæ quintæ antiquitus evangelia propria, ex quibus exceptæ antiphonæ cantarentur, minime habebant: quæ a posterioribus Patribus, et erga diuinæ officia studiosis de Evangelio Joannis postmodum excerpta sunt. Unde postquam illæ quintæ feriæ propria evangelia habere cœperunt, antiphonæ novæ de ipsis quoque evangeliis factæ sunt.

LX. Statutum est ut sicut ex eonsuetudine, aliæ horæ sanctæ Virginis matris Domini in ecclesia infirmorum, quæ in honore ipsius consecrata est, quotidie decantantur, et ejusdem ibi complitorum cantaretur, et in omnibus horis ante psalmos præmitteretur versus: *Memento, salutis auctor*, cum *Gloria sua*.

Causa instituti hujus fuit honor matri Domini super omnem creaturam singulariter exhibendus, et ut, quia ejus horæ in conventu publico propter

A fratrum numerositatem, et officiorum multiplicitatem, brevitate temporis prohibente cantari non poterant, saltem in capella ipsius a paucioribus ex integrō cantarentur.

LXI. Statutum est ut regularis Prima, et Prima S. Mariæ diebus privatis a festo Omníum Sanctorum usque ad Pascha, quæ ex antiquo more post præmissos matutinos, et post finitam aliam psalmodiam in capella infirmorum ante adventum cōventus profunda nocte decantabantur, usque ad lucis ortum, et signi, quod in infirmeria pulsari manu solet, sonitum differantur.

Causa instituti hujus fuit, quia et frequenter psalmodia ab infirmis nondum pro sui prolixitate explicata, cōventus superveniens eosdem infirmos, imo universos, quos in illa ecclesia offendisset, expellebat; et quia frequenter media fere nocte, sole adhuc sub terris profundissime occultato, cantabant: *Jam lucis orto sidere*. Unde ne tantum mendacium a filiis veritatis coram Deo ulterius proferretur, et ne verba Dominum precantium ac laudantium discordarent, institutum est. Quod si quis objiciat, cur non et in cæteris, in quibus consimilis nota mendacii invenitur, istud correctum est, quando multa adhuc nocte cantatur: *Aurora lucis rutilat*; et: *Aurora jam spargit polum*; et: *Lux intrat*; *Albescit polus*, et multa in hunc modum, respondeo velle me quidem valde, ut talia cuncta, si cum pace fieri posset, apud nostros et ubique corrigerentur, sed quia, ut aestimo, hoc non potest fieri, verbis Magni Gregorii papæ utar: *Si non possum de agro Dominico multos reportare manipulos, saltem paucos, saltem duos, saltem unum feram.*

LXII. Statutum est ut quando fratres infirmi oleo sacro ex more ecclesiastico inunguntur, non aurea vel argentea crux eis ad adorandum offeratur, sed lignea, quæ imaginem Domini crucifixi pictam habet, et de ipso Dominicæ crucis ligno particulam cum auro aptatam, et sub pedibus picci crucifixi eidem cruci insertam.

Causa instituti hujus fuit quia rationabilius et devotius visum est, ut non de quolibet alio metallo, aut de alia qualibet re, sed de eadem ligni materia, quo Salvator crucifixus est, crux facta ægro præsentaretur, et in verbis ipsis, quæ dum adoratur, decantari solent, nulla vel modica falsitatis nota reprehenderetur. Nam non dicitur, ecce aurum crucis, ecce argentum crucis; sed: *Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus*. Utique verum est, quia non in auro, neque argento, sed in ligno Christus crucifixus est. Non tamen hoc dicens, cruces ex auro vel argento ad honorem. Dominicæ crucis factos condemno, vel reprehendo, quod ore catholico maxime approbandum et laudandum est. Sed aliud est metalli pretiositas, quæ mentes simplicium excitat ad majorem sacræ crucis venerationem; aliud ligni utilitas, quæ spiritualium animos commovet ad vehementiorem erga crucem.

et crucifixum devotionem. Unde ut magis mens de-vota in amorem Salvatoris passionis accenderetur, particula de ipsius primæ crucis ligno, ut jam dixi, pedibus picti crucifixi supposita est, quæ statim post pedum osculum, oculis, animo et ori crucem adorantis et osculantis infirmi se offert. Hanc tamen ligneam crucem, quam ego hoc, quem dixi, intuitu isto, quem præscripsi, modo aptari feci, non jam mortuis, sed morientibus ad adorandum deferri decreatum est. Quod sicut Cluniaci a me factum est, sic ubi fieri potuerit apud nostros, licet præcipere verear, opto tamen ut fiat.

LXIII. Statutum est ne staminiæ, quæ ex more antiquo, propter graviora quælibet fratribus acrius flagellandis scindi solebant, et usque ad cingulum violenter detrahi, ulterius scinderentur, sed stamnia integra manente, yerberibus subjiciendus frater ea ex toto exueretur.

Causa instituti hujus fuit ut et frequens damnnum scissarum staminjarum vitaretur, et plenius nudatus frater expeditius verberaretur.

LXIV. Statutum est ne finita lectione refectorii, canistra, juxta morem antiquum, ad suscipiendas panis reliquias per refectorium ulterius deferrantur.

Causa instituti hujus fuit quoniam prius ea de causa canistra ad suscipiendas residui panis partes deferebantur, ut granatario, non eleemosynario, ad expendendum in posterum redderentur. Sed quia nunc nihil de pane refectorii granatario, sed totum eleemosynario redditur, visum est non esse necesse ut ulterius eadem canistra per refectorium deferrantur.

LXV. Statutum est ne ad missam matutinalem et majorem, finito cantu offerendæ usque ad præfationem, conventus, ut olim siebat, stare cogatur, sed mox, ut cantus cessaverit, qui sedere voluerint, sedeant; tamen ut, cum sacerdos conversus ad chorum dixerit: *Orate fratres*, modeste scabellis elevatis in illis subselliis, quæ eisdem sedilibus inhærent, acclives ex more resideant privatim diebus; festivis autem inclinentur ante formas.

Causa instituti hujus fuit ut magnus et continuus labor Cluniacensis conventus hac quantulacunque remissione relevaretur.

LXVI. Statutum est ne parvi scholares, si boni fuerint, procedente tempore, aliquid de aliorum dignitate amittant.

Causa instituti hujus fuit quia nescio unde res orta, fama tamen hoc referente, dicebatur morem esse ut nullus scholarium puerorum aliquo unquam tempore aut hebdomadarius majoris missæ, aut prior, aut custos ordinis, sive circa fieret, aut quodlibet dignitatis monasticæ privilegium obtineret. Quod quantum contra communem justitiam et rationem sit, etiam leviter attendens advertit. Nam cum princeps apostolorum dicat: *In omni gente, qui timet Deum, ei operatur justitiam, acceptus est illi (Act. x)*. Si,

A inquam, in omni gente, nunquid non in omni ordine? Si in omni ordine, nunquid non in omni gradu, in omni conditione, in omni ætate? Et quia res clara longa probatione non eget, breviter dico omnem monasticam vel ecclesiasticam dignitatem, si boni et digni fuerint, restitutam esse a nobis publice scholaribus, quia cujus sida, scientia et vita probatur, a qualibet ecclesiastica dignitate valde injustissime reprobatur.

LXVII. Statutum est ut pneuma, quod in fine antiphonarum canitur, ubi plures antiphonæ se invicem sequentes fuerint, sicut ad vesperas et matutinos, ulterius non cantetur, exceptis quinque præcipuis festivitatibus, hoc est Natali Domini, Pascha, Pentecoste, festo apostolorum Petri et Pauli, B et Assumptionis B. Virginis. Similiter et illud decretum est, ne ad suffragia sanctorum, excepta oratione S. crucis et S. Mariæ, et apostolorum Petri et Pauli et ultima, per *Dominum nostrum*, cum sequentibus usque ad *Amen* dicatur, scilicet per *Christum Dominum nostrum*.

Causa instituti hujus fuit tedium prolixitatis multiplicium adjectionum, quæ a diversis diverso tempore officiis ecclesiasticis additæ sunt. Cujus tædii, ut aliqua relevatio fieret, et quia hoc in nullis Cluniacensibus monasteriis, præter Cluniacum, servabatur, hoc institutum est.

LXVIII. Statutum est ut hymni propriae de S. Stephano primo martyre, de S. Joanne evangelista, de SS. Innocentibus, de sancto Laurentio, de S. Vincentio, sumpti de Hymnario S. Ambrosii, vel Hymnario Prudentij docti et religiosi viri, in eorumdem sanctorum solemnitatibus modo a nostris, qui eos habere potuerint, ubique cantentur.

Causa instituti hujus fuit amor et reverentia illorum sanctorum quia cum dilectus Christi Joannes post Petrum et Paulum de præcipuis apostolis sit, illique dicti martyres, de summis et sublimioribus martyribus sint, incongruum visum est, ut communibus aliorum apostolorum vel martyrum hymnis decantarentur, maxime cum præter hymnos omnes alios cantus tam nocturnos quam diurnos proprios habeant.

LXIX. Statutum est ut duo maturi et studiosi fratres semper diu noctuque dormitorium custodiunt, aut quando potuerint simul, aut quando non potuerint vicissim; quando vero causa refectionis simul esse non potuerint, sicut inter se condixerint, unus reficiat, alter custodiat. Quando autem alia de causa, similiter fiat.

Causa instituti hujus fuit quia frequenter propter absentiam custodum et multitudinem illie convenientium multorum querelæ siebant, quol vestes suas, vel quælibet regularia indumenta, saepe perderent, nec perdita facile invenire possent. Unde ut tam istud vitaretur, quam ut omnes, qui provenire possent, contrarii casus caverentur, istud decretum est.

LXX. Statutum est ne vel abbas Cluniacensis,

aut prior, aut quilibet priorum, vel fratrum Cluniacensium in Cluniaco, vel extra manentium, famulis aut servientibus sibi cuiuslibet generis pelles præter agninas emat, vel donet; additum est ut rubeo, viroli, omnique alio vestium colore, remoto, aut de burellis medioecris pretii, aut de pannis nigri coloris, hoc est vel agnelinis, aut paris pretii, aut minoris, famulos secum equitantes et suo famulatu deputatos vestiant.

Causa instituti hujus fuit primo et præcipue religionis augmentum, et ipsum notum cunctis inconveniens, ut monachis regulariter indutis obsequentes eis sacerdotalibus vestibus uterentur. Nam, juxta verbum Domini, qui molibus vestiuntur, non in domibus monachorum, sed in domibus regum esse, vel habitare solent. Secundo, et multiplices et graves expensæ, quæ in superfluis illis et noxiis vestibus male, et prodige consumebantur; in necessariis, et utilibus rebus bene et rationabiliter expendantur.

LXXI. Statutum est ne in responsoriis vel antiphonis, quæ sunt de baptismate Domini, aliquis Cluniacensem dicat, vel cantet: *Ipsum audite*, sicut verbi gratia, antiquitus in responsorio, quod sic incipit: *In columbae specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Addi solebat: *Ipsum audite.* Item sicut in antiphona, quæ talis est: *Vox de cœlo sonuit, et vox Patris audita est: Hic est Filius meus in quo mihi complacui*, et in similibus, si quæ sunt vel antiphonæ, vel responsoria, interdictum est, ne quis addat: *Ipsum audite.*

Causa instituti hujus fuit evidens et apertum mendacium, quod cantantes vel legentes inconsidere proferebant, quando sacris illis verbis addabant: *Ipsum audite.* Testes hujus rei sunt non quilibet, sed ipsi sanctissimi et veridici evangelistæ, Matthæus, Marcus, et Lucas, qui pariter sententia scribentes, apparuisse Spiritum Dei super baptizatum Christum in specie columbae, et vocem Patris de cœlo factam, vel: *Hic est Filius meus in quo mihi complacui;* vel: *Tu es Filius meus, in te complacui mihi,* nusquam addiderunt: *Ipsum audite.* Addita sunt hæc verba, non in Christi baptismate, sed in ejus transfiguratione. In illa, inquam, transfiguratione adjunctum est verbis similibus: *Ipsum audite, sed et ipsa ratio hoc lucide declarat.* Nam cum in Christi baptismate vocem illam omnipotentis Patris solus post Christum Baptista audierit, non diceretur soli: *Ipsum audite, sed ipsum audi.* Unde apparent quod non illi, qui solus erat, hoc in baptismate dictum est; sed tribus apostolis, Petro, Jacobo et Joanni, et in ipsis, et per ipsos, universalis Ecclesiæ, quam præsignabant, non singulari, sed plurali numero in Domini transfiguratione præceptum est: *Ipsum audite.*

LXXII. Statutum est ut in Nativitate Domini nullus ex fratribus ante finem missæ illius, quæ de luce dicitor, et quæ de more in conventu cantatur, mis-

A sam alicubi vel dicat vel audiat. Excepti sunt ab hac constitutione infirmi, qui in infirmitate comedunt, de quibus antiquus mos constituit, ut sicut sancto die illo tres missæ in conventu cantantur, ita eis eodem tempore tres similiter missæ in capella Sanctæ Mariæ, quæ corum officiis deputata est, celebrentur.

Causa instituti hujus fuit, quia solebant sacerdotes, non quidem ex consuetudine, sed ex quadam inconsiderata festinatione; statim post evangelium illius missæ, cum quibusdam aliis, qui vel eos juvabant, vel communicare ad eorum missas volebant, a conventu recedere, ac sibi unusquisque missam de die cujus introitus est: *Puer natus est nobis, celebrare.* Ita siebat, ut non solum chorus, pene vacuus remaneret, sed nec quod de ipsa missa post evangelium restat, audirent. Hoc jam sic in consuetudinem versum fuerat, ut in consuetudinem esse putarent, et media fere pars Cluniacensis conventus, aut forte plus, die Natalis Domini non audiendo ea, quæ in missa de Luce post evangelium supersunt, nec ipsam missam audirent. Quam idcirco non audiebant, quoniam ejus maximam et meliorem partem, hoc est sacrificii divini celebrationem, ex cuius dignitate maxime missa vocatur, perdebat. Hoc ne ulterius fieret, hac constitutione provisum est.

LXXIII. Statutum est ut de vasis omnibus vinariis, quæ in cellario fuerint ad opus fratrum, hospitium, vel pauperum, hoc est de unoquoque eorum, vigilia Natalis Domini, frater, qui vinum ad missas providere solet, tantum accipiat, quantum ad celebrandas omnes missas illius sacræ noctis atque diei sufficere valeat.

Causa instituti hujus fuit res a multis, ut audivi, probata, et sæpe mihi relata, quod videlicet, nunquam vasis illius vinum acescere, vel in innaturali et corruptum sapore converti possit, unde pars quantalibet vini ad celebranda jam dicti Natalis Domini sacramenta assumpta fuerit.

LXXIV. Statutum est ut illud *Kyrie*, cuius cantus habet prosaicos versus, quorum principium est, *Clemens Rector æterne, Pater immense eleison,* qui in multis monasteriis ad Cluniacum pertinentibus usu antiquo cantabatur, etiam Cluniaci in quinque præcipuis festis cantetur. Additum est et hoc, ut in eisdem solemnitatibus et in quibuslibet, prout libuerit, majoribus ad vesperas, vel ad laudes cantetur: *Benedicamus Domino, juxta cantum novi quidem, sed boni et jam publici versus illius, qui in Nativitate B. Matris Domini a multis canitur:*

Virgo Dei genitrix virga est, flos filius ejus.

Sumptus est autem cantus non de toto versu, sed de fine versus, hoc est: *Flos filius ejus.*

Causa instituti hujus fuit, ut et solemnioribus diebus magis congrueret solemnior cantus, et ut ipsa cantuum variatio maior esset cantantium de-
vojo.

LXXV. Statutum est ut in festo Inventionis S. Crucis

cis et Exaltationis ejusdem, ad laudes matutinas cantantur versus excerpti de hymno, cuius principium est,

Pange, lingua, gloriosi prælium certaminis,
quorum primus est, *Crux fidelis*, secundus, *Flecte ramos*, tertius, *Sola digna tu fuisti*, cum *Gloria* sequenti quæ est, *Gloria et honor Deo*.

Causa instituti hujus fuit quia devotius et eleganter visum est, in jam dictis salvaticis crucis solemnitatibus, laudes ipsius continentis hymnos variari jucunde, quam easdem iterari fastidiose. Canebatur enim prius hymnus, cuius principium est, *Vexilla Regis prodeunt*, ad utriusque festi ultrasque laudes vespertinas, et rursus iterabatur ad matutinas.

A LXXVI. Statutum est ut antiphona de sacra Matre Domini facta, cuius principium est, *Salve, Regina, mater misericordiae*, in festo Assumptionis ipsius, dum processio fit, a conventu cantetur: et insuper in processionibus, quæ a principali ecclesia Apostolorum, ad ejusdem matris Virginis ecclesiam ex more fiunt, exceptis illis sanctorum festivitatibus, in quibus mos antiquus exigit, ad eosdem sanctos pertinenter decantari.

Causa instituti hujus fuit nulla alia, quam summus et maximus amor, ab omni rationali creatura, quibuscumque modis rationabiliter fieri potest, exhibendus post auctorem omnium matri auctoris universorum.

DISPOSITIO

REI FAMILIARIS CLUNIACENSIS

FACTA

A DOMNO PETRO ABBATE CLUNIACENSI NONO.

(Anno 1150.)

[BALUZ. *Miscell.* edit. Lue. in-fol., tom. III, pag. 72.]

Quoniam es valde labilis est humana memoria, nec morientes incessanter homines veracem semper posteris suis rerum gestarum famam relinquere possunt, scripturæ subsidium a primis sapientibus adinventum est. Nam quod scribitur varietatem suscipere nescit, et nisi casu vel studio corrumpatur, uno eodemque modo veritatem rerum gestarum indifferenter succendentibus tradit. Feci hoc ergo in quibusdam tantum spiritualibus. Facio nunc in quibusdam ad commodum corporale simul et spirituale pertinentibus causis.

Notum facio igitur ego frater Petrus humilius Cluniacensis abbas omnibus istud legentibus quod quando ad hoc officium ante viginti sex annos assumptus sum, magnam quidem Ecclesiam, religiosam et famosam inveni, sed pauperrimam, magna- rum expensarum, et comparatis redditibus cum ex pensis, nullorum pene reddituum. Trecenti erant vel eo amplius fratres, nec centum de propriis sumptibus domus illa procurare valebat. Turba hospitum semper, pauperum numerus infinitus. Congregata de omnibus decaniis annona vix quatuor mensibus, aliquando nec tribus, vinum undecunque collectum, nunquam duobus aliquando mensibus, nec uno sufficiebat Panis parvus, niger, et surfu-

B reus. Vinum maxime aquatum, insipidum, et vere villum. Praeter alias et multo cum fœnore mutuo acceptas expensas, in emendo solummodo annum et vinum plusquam viginti millia solidos Cluniacensis camerarius expendebat. Has angustias ego videns, habito cum sapientibus fratribus qui tane vivebant consilio, prout mihi et ipsis rationabile visum est, mesatica per decanias constitui, et ut conventum Cluniacensem de pane, de fabis, et eorum sagimine quidam ex decanis uno mense, quidam duabus mensibus, quidam tribus hebdomadi bus, quidam quindecim, quidam octo diebus, hoc est, integro anno procurarent, ordinavi; et ut semper annuatim haec constitutio servaretur, universorum fratrum assensu et voluntate in capitulo precepit et scripto firmavi.

Hoc ita ut decretum est multis postmodum annis servatum est. Procedente deinceps tempore visum est tam mihi quam fratribus ut quedam de pristina ordinatione mutarentur, et aliquæ decaniæ quæ mesatica faciebant ad alios monasterii usus, juxta quod ratio exigebat, deputarentur. Ea de causa decania quæ Masiliæ dicitur, quia magis aenæ quam frumenti ferax est, ad procurandas omnium hospitum equitaturas deputata est. Galiniaco quedam aliæ